

Ius motus localis fieret , nisi vobis recurseret ad miraculum , quo Deus singulis vicibus suppleret vicem determinativi illius extrinseci ; sed is discurrendi modus , ut vides , est parum Philosophicus . Ex quibus satis liquet quid in forma syllogistica respondendum sit ad objectionem & instantiam .

### ASSERTIO SECUNDA.

Determinatio corporum ad suos motus naturales nee  
convenienter explicatur per repulsionem materiae ul-  
lius celestis , nec per tractionem terrestris , sed illa  
potius sunt sibi mutua determinatio per solum con-  
tattum aut immediatum , aut mediatum . Hæc asser-  
tio tres habet partes , quarum probationi bre-  
viter præmitto ex dicendis in articulo sequente  
omnia corpora esse gravia ; gravitas autem est  
principium motus deorsum , & sic satis erit af-  
fertionem probare quantum ad descensus natu-  
rales gravium intelle&am , de quibus tota est  
controversia .

**P**ROBatur prima pars . Descensus naturales gravium non sunt  
propter repulsionem , scilicet activam , materie ullius celestis :  
ergo &c. Probatur antecedens . Si quæ materia celestis gravia  
repelleret ad descendens , illa maximè esset , quam Cartesius receden-  
tem pro viribus à centro sui vorticis excogitavit : nam ex omnibus  
qui haecenus per actionem cœli repellentem gravia naturaliter decidere  
prodiderunt , haud dubie tribuendum est Cartesio opinionem illam pro-  
babiliorē per suas hypotheses reddidisse : aqui nihilominus omnino  
insufficiens est ad descendens naturales gravium explicando materia illa  
subtilis Cartesiana recedens à centro sui vorticis , scilicet terrestris ,  
ut intelligit Rohaltus loco citato & idem dicit de globulosa : ergo  
&c. Probatur minor . **P**rimò. Quia materia illa subtilis recedens à  
centro sui vorticis radiatim , ut Cartesius supponit , majorem haberet  
viā ad compellenda gravia tūsum , quād ad repellenda deorsum : si-

XVI.  
Afferen-  
tur sex ar-  
gumenta  
contra re-  
pulsionem  
materie  
celestis.